

cati, infallibiliter accommodarent fidei voluntatem suam. Qui sensus est necessarius, tum quia alias non responderet objectioni, tum quia etiam de illis qui vocati non consentiunt, verum est dicere posse consentire si velint, et posse velle. Est ergo sensus: *Possent alio modo vocari, quo si vocarentur, accommodarent fidei voluntatem suam*; et hoc ipsum est quod inferius ait: *Eorum autem miseretur quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est ut sequantur*, utique infallibiliter, unde subjungit: *Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat*. Quapropter, cum superius ait: *Ad alios quidem vocatio pervenit, sed quia talis fuit qua moveri non possent, nec eam capere apti essent, vocati quidem dici poterunt, sed non electi*; illud (inquam) *moveri non possunt*, consentaneae ad superiora intelligendum est, vel subintelligendo moveri non possunt efficaciter, seu infallibiliter; vel non possunt in sensu composito, et facta suppositione quod Deus praeviderit illam vocationem non fuisse futuram illis congruam ex eorum libera resistantia. Nam absolute et simpliciter, etiam illi vocati, qui libere resistunt vocationi, possent velle ei assentire, alioqui talis vocatio non esset sufficiens in suo ordine, et consequenter illi non assentire non esset culpa. Sicut enim non peccat contra fidem qui non credit, quia sibi non proponitur fides sufficienter, ita non peccat contra vocationem, qui non respondet, quia non sufficienter vocatur; nemo autem sufficienter vocatur, qui absolute et simpliciter non potest tali vocationi assentire.

Quibus verbis declarat Augustinus diversitatem inter vocationem congruam et non congruam. — Deinde observandum est quibus verbis declarat Augustinus diversitatem inter vocationem congruam et non congruam; sic enim ait: *Ut et illud verum sit: Multi vocati, pauci electi; ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei accipiendae reperiuntur idonei*. Attentissime enim consideranda sunt illa verba: *Uno modo vocati sunt*, ut conspiciatur Augustinum non ponere diversitatem in ipsis vocationibus, aut in modis earum secundum suas entitates, ut sic dicam, spectatis, nec secundum aliquem intrinsecum modum, quem a Deo recipiunt, sed solum ex parte subjecti, seu affectionis, vel dispositionis ejus provenire ut una habeat infallibiliter effectum, et

non alia, et hoc vocat esse *idoneum capiendae vocationi*, id est, ita affectum, ut infallibiliter illa movendus sit, si ea pulsetur. Unde cum subdit in hoc ostendi misericordiam Dei erga electos, *quia hoc modo vocavit quo aptum erat eis*, non intelligit vocasse illos peculiari modo quo non vocavit alios, ita ut in ipsa vocatione sit diversitas modi, sed intelligit misericordiam electorum in hoc esse quod, licet videatur Deus uno modo et uniformiter vocare omnes, tamen eum modum vocationis eligit, quem praevidit esse convenientem futurum suis electis, etiamsi aliis non esset futurum ita convenientem. Atque hunc sensum magis inferius declaravit dicens: *Videmus enim alios aliter iisdem rebus demonstratis vel significatis ad credendum moveri*. Quod allatis variis exemplis late prosequitur et declarat; et concludit interdum quidem posse esse varietatem in ipsa vocatione et modo ejus, *quia eadem res uno modo dicta movet, alio modo dicta non movet*. Saepè vero ex parte subjecti, quia res etiam eodem modo dicta *unum movet, alium non movet*.

Responderi potest Augustinum loqui de vocatione externa, quae sine dubio potest esse eadem; nunquam tamen dicere etiam internam, quatenus a Deo est, esse eandem; unde omnia exempla quae adducit sunt de externa praedicatione et suasionem per signa, vel miracula, etc. At enim sine dubio Augustinus totam vocationem comprehendit, ut est vera vocatio gratiae, quam ipse defendit contra Pelagium. Primo quidem, quia de vocatione externa nulla erat illi contentio cum Pelagio, qui etiam admittebat externam vocationem esse necessariam, quam nomine doctrinae et revelationis solet potius Augustinus significare. Secundo, quia idem Augustinus, libr. de Spiritu et litter., cap. 33, ait voluntatem credendi esse donum Dei, *quia vocante Deo surgit de libero arbitrio*. Ubi loquitur de vocatione vera et Spiritum gratiae habente. Unde necesse est ut internam etiam illuminationem et inspirationem complectatur. Et tamen statim, cap. 34, explicans Augustinus illam vocationem, ait non ideo tamen voluntatem credendi Deo attribui, quia est ex libero arbitrio quod Deus dedit, *verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus ut velimus, et ut credamus, sive extrinsecus per Evangelicam exhortationem, etc., sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid sibi veniat in mentem*. Igitur vera et efficax vocatio potest media externa suasionem fieri; nunquam tamen fit sine

interna inspiratione, quae inde resultat; et simili ratione, vocatio quae futura non est efficax, si tamen futura est sufficiens, non potest in solo externo sonitu verborum aut signorum visione sistere, nisi tale sit totum hoc quod exterius fit, ut sit instrumentum excitans interius veram Spiritus Sancti illuminationem et inspirationem. Quamvis ergo Augustinus, in quaestione illa secunda quam tractamus, loquatur de ordinario modo vocationis per signa externa, non excludit tamen internam motionem, sine qua non esset vera vocatio; ergo sicut de vocatione externa ait posse esse eandem in eo qui consentit, et in eo qui resistit, ita etiam de interna, quae secundum ordinariam legem non est major quam per externa, cum communi auxilio gratiae, excitetur. Tertio, quia alias nihil Augustinus efficeret sua illa distinctione. Eam enim adducit ut declaret, etiam eos, qui non obediunt, voluntate sua dissentire, et non ex defectu vocationis. At hoc verum non fuisset, si illi tantum haberent vocationem externam, vel caruissent aliqua interna omnino necessaria ad credendum, quam in sua potestate non haberent.

Ex hoc igitur attente ponderato, aperte convincitur Augustinum non posuisse efficacitatem gratiae praevientis in praedeterminatione physica, nec in aliqua intrinseca differentia ipsiusmet internae vocationis seu praevientis gratiae, neque in aliquo alio, quidquid illud esse fingatur, quod ita tribuatur uno modo vocatis et praeventis, ut aliis non detur, nec sit in eorum potestate, sed positam esse in illa congruitate et opportunitate, quam Deus in sua altissima praescientia observavit et misericorditer praeparavit. Praesertim vero quod non sit in praedeterminatione physica, praeter rationes factas, quae in illa maxime locum habent, ex verbis ejusdem Augustini non obscure constare potest. Nam, in principio illius paragraphi quem tractamus, ait quod, licet multi sic vocati non consentiant, si alio modo vocarentur, *possent accommodare fidei voluntatem*. Ergo non intelligit Augustinus per vocationem congruam determinari physice voluntatem, nam illa posita adhuc requiritur ut homo sic vocatus *accommodet fidei suam voluntatem*. Quae verba, in omni sua proprietate, significant voluntatem et esse indifferentem, etiam supposita vocatione efficaci, et ipsam se determinare cum vocationis adjutorio. Quid enim aliud est, *accommodare suam voluntatem fidei*, quam illam ad

volendum credere determinare? Unde inferius concludit: *Quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacobus justificatus est?* Quid est, quaeso, determinare voluntatem ad credendum, nisi applicare illam eamve conjungere ad fidem? Et tamen Augustinus ipsi Esau hoc tribuit, si tali modo vocaretur; non ergo vult quod vocatio talis esset ut determinaret Esau, sed ut illa posita Esau ipse sese applicaret et determinaret, quamvis non sine cooperatione gratiae Dei. Denique si Augustinus intellexisset congruitatem vel efficacitatem vocationis congruae esse positam in praedeterminatione physica, non oportuisset ipsum recurrere ad diversam affectionem hominis vocati; quocumque enim modo affectus sit, si cum vocatur, detur praedeterminatio, superabit affectionem et consentiet. Nec oporteret tanta exaggeratione interrogare: *Quis audeat dicere defuisse Deo modum congruenter vocandi Esau?* Quia si praedeterminatio est possibilis simul cum libertate, respectu cujuscumque hominis est possibilis, nec ullus vel indoctissimus poterat de hoc dubitare. Item nulla esset necessaria varietas in modo vocandi, ut unus sit congruus, non alius; et tamen Augustinus illam supponit dicens: *Quod si tanta quoque esse potest obstinatio voluntatis, ut contra omnes modos vocationis obdurescat, etc.* In quibus etiam verbis evidenter supponit, posito quocumque modo vocationis, adhuc remanere voluntatem ita indifferentem ut obdurescere possit, quantum est ex se, et non supposita praevisione Dei de contrario effectu. Quod tamen de praedeterminatione physica dici non potest, quia, illa posita, non est in potestate voluntatis contra illam obdurari.

Quod si quis fortasse dicat his rationibus recte probari determinationem physice non pertinere ad vocationem, nihilominus vocationem, quantumvis congruam, non habere effectum sine praedeterminatione, sicut non habet effectum sine cooperante gratia, respondemus aliud esse hoc affirmare, aliud vero esse hoc tribuere Augustino. Hic non agimus de assertionem ipsa, sed de mente Augustini, nobisque satis est ut ex dictis constet, ex mente Augustini praedeterminationem illam non pertinere ad vocationem, sive congruam, sive non congruam. Nam inde imprimis sequitur evidenter, ex mente Augustini non posse colligi illam esse necessariam post vocationem con-

gruam, et cum illa semper esse conjunctam; ubi enim hoc vel leviter insinuavit Augustinus? Addimus deinde contrarium satis significasse; tum quia nihil aliud tribuit soli Deo ex necessariis ad voluntatem credendi, præter vocationem, et illam postulat congruam, ut voluntas infallibiliter sequatur; tum etiam quia inter talem vocationem et applicationem voluntatis, qua ipsa se accommodat, conjungit et applicat ad fidem, nullam aliam motionem mediam et præviam ad consensum ac posteriorem vocatione ponit, quam Deus se solo effecturus sit; tum denique, quia totam efficacitatem gratiæ prævenientis ponit in congruitate vocationis, et tamen illa esset et insufficientis, si adhuc requiretetur prædeterminatione, et impertinens, quia si Deus velit prædeterminare, omnis vocatio reddetur congrua; si non velit, quantumvis vocatio videatur accommodata, manebit inefficax. Quod ita etiam declaro, quia Augustinus dicit ad vocationem congruam infallibiliter sequi consensum; vel ergo sequitur quia illi adjungitur prædeterminatio ex voluntate Dei, vel quia congruitati vocationis debetur prædeterminatione. Si primum, ergo præcisa prædeterminatione nulla est congruitas in vocatione, cujus oppositum probatum est. Si vero dicatur secundum, ergo, præcisa prædeterminatione, est effectus infallibiliter futurus ex vi vocationis congruæ; ergo nulla est necessitas talis prædeterminationis; nec intelligi potest congruitas prævia, cui talis prædeterminatio debeatur. Non est tamen ratio similis de adjutorio gratiæ cooperantis, quia hoc intrinsece offertur cum vocatione sufficienti, ac proinde est in potestate voluntatis habere illud in actu secundo, si velit; prædeterminatio autem non necessario offertur cum vocatione, quantumvis sufficienti. Per efficacitatem ergo vocationis congruæ plane excluditur prædeterminatio physica, juxta mentem Augustini.

At enim prædictus modernus auctor, hoc fortasse prævidens, dixit Augustinum in tota hac distinctione tradenda non loqui ex mente sua et propria sententia, sed disputando hæc proponere. Hoc autem suadere vult, quia proxime post illam distinctionem datam subjungit hæc verba: *Et tamen intueamur superiora, et inde nostram, quantum ipse Dominus adjuvat, sententiam dirigamus.* Ecce (inquit ille) nunc incipit Augustinus suam sententiam proferre; ergo superiora omnia non recte allegantur tanquam

sententia Augustini, sed oportet attendere quid ibi proxime tractet Augustinus, et cui quæstioni respondeat. Postquam enim quæstionem illam, quomodo verum sit: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, per distinctionem duplicis vocationis expedivit, cum illa connectit aliam, ibi: *Hic dicit aliquis, cur scilicet vocatio congrua non fuerit data Esau.* Ad quam, supposita iterum superiori divisione duplicis vocationis, in summa respondet, quando Deus non ita vocat aliquem, quomodo ad fidem movendus est (ita enim, ut notavi, modus ille loquendi apud Augustinum intelligendus est), ostendit (inquam), id facere, non quia non possit ita vocare ut persuadeat, sed quia non vult majorem misericordiam præstare, ob alios fines providentiæ suæ; et hoc probat ex subjunctis verbis Pauli: *Dicit enim Scriptura Pharaoni, etc., usque ad illud: Cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* Ex quo subjungit ac connectit quæstionem aliam seu objectionem, dicens: *Quod si fit sine ulla distinctione meritorum, quis non erumpat in eam vocem, quam sibi objecit Apostolus: Dices itaque mihi: Quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistet?*

Cum ergo Augustinus immediate subjungit: *Et tamen intueamur superiora, et inde nostram, quantum Dominus dederit, sententiam dirigamus*, non incipit resolvere quæstionem a principio propositam, prætermittis omnibus quæ usque ad illa verba disputaverat, sed objectioni et interrogationi proxime factæ, et argumentis contra libertatem divinæ electionis, ut sic dicam, factis propositæ, cur scilicet gratis Esau seu reprobam relinquat sine vocatione congrua, vel quomodo inde non sequatur hominis desperatio et justa querela hominis contra Deum, et e converso injustam esse querelam Dei de homine non credente, cum talem vocationem illi non det, ad hanc (inquam) quæstionem respondere incipit, et de illa offert sententiam suam cum divino adjutorio, quia res est valde supernaturalis et ardua. Nullum ergo argumentum ex illis verbis sumi potest, quod usque ad illa verba non fuerit Augustinus ex propria mente et sententia locutus, expediendo alia dubia quæ præposuerat.

Præterea ipsa verba expendenda sunt. Nam cum ad respondendum dicit: *Intueamur superiora*, duobus modis id intelligi potest. Primo, ut per superiora intelligat omnia præcedentia, quæ ab ipsomet in tota illa quæstione dicta fuerant. Et si de his est sermo,

potius inde sequitur approbare illa, et ex illis, tanquam ex fundamentis optimis, vel reliqua quæ supersunt dicenda, vel resolutionem totius quæstionis velle elicere vel dirigere, ut ipse loquitur, unde, licet notatiuncula illa marginalis, ubi hoc loco signatur, *conclusio quæstionis*, ad quæstionem referatur et sustineatur, non inde sequitur priora omnia non esse dicta ex sententia Augustini, sed potius sequitur esse ab illo jacta ut fundamenta suæ sententiæ et conclusionis intentæ, sicut est usitatum apud divum Thomam in corporibus articulo; incipit enim ab aliquibus principiis generalioribus, et paulatim progreditur usque ad conclusionem, quam infime constituit. Unde inferri non potest superiorem doctrinam articuli non esse dictam ex propria sententia, sed oppositum potius infertur. Secundo tamen modo intelligi potest, ut per superiora intelligat Augustinus illa quæ Paulus in eodem capite nono ad Roman. dixerat, qui solus sensus est sine dubio legitimus; nam immediate post illa verba: *Intueamur superiora, et inde nostram sententiam dirigamus*, subdit Augustinus: *Ait enim paulo ante: Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas est apud Deum? Absit.* Hæc ergo sunt superiora, ex quibus Augustinus vult sententiam suam dirigere. Et ex illis respondet ad proximam interrogationem propositam de illa apparente inæqualitate, quia cujus vult miseretur, et quem vult indurat, esse alicujus occultæ, atque humano modo ininvestigabilis æquitatis. Solum ergo ad illam quæstionem ibi respondere incipit, nec quæ prius dixerat circa quæstiones alias vel immutat, vel in dubium revocat. Unde illammet responsionem proseguendo et explicando, ex illis principiis quod non est injustitia exigere debitum, nec contra justitiam uni gratis remittere, licet alteri non remittat, concludit paulo inferius, dicens: *Itaque impudentiam quæstionis ita retundit Apostolus: Homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Ac deinceps in eadem sententiam per integram fere aliam columnam in eadem responsione, ex ejusdem Apostoli verbis immoratus, nec verbum ullum habet quo vel superiorem doctrinam a se datam sibi non probari, vel res ibi tractatas aliter expedire, vel denique circa doctrinam de duplici vocatione mutare videatur.*

Deinde vero in § *Sed enitendum est hoc loco*, novam proponit dubitationem. Ad intelligendum autem melius Augustini discursum, recolendum est quod in principio

illius quæstionis secundæ proposuit, nimium, ut totum Apostoli contextum ab illis verbis: *Non solum autem illa*, usque ad illa, *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen*, etc., explicaret. Hanc ergo intentionem suam hæcenus prosecutus, varias quæstionulas, seu interrogationes et responsiones proponendo, et quidem prius, proposita intentione Apostoli, quod gratia Dei ex ipsius voluntate primario pendeat, non ex nostris operibus, declarat totum id quod de electione Jacob præ Esau dicitur. Deinde adjuncta distinctione duplicis vocationis explicat quomodo divina electio per vocationem congruam executioni mandetur, sicque verificetur illud: *Non ex operibus, sed ex vocante*, etc. Postea vero in ipsamet vocatione efficaci occasione sumpta, transitum facit ad explicandam totam illam particulam Apostolici contextus: *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas est apud Deum?* etc. Nunc autem revertitur ad illa verba: *Esau autem odio habui*, propter differentiam quæ ex aliis Scripturæ verbis: *Nihil odisti eorum quæ fecisti*, circa illa nascitur; ex quo discursu, qui in ipsa littera Augustini est patentissimus, constat manifeste quam sit a re ipsa et veritate alienum, dicere, Augustinum non tradidisse ex propria sententia totam illam doctrinam de vocatione congrua. Nam si hoc ita est, nec ex propria sententia declarat textum Apostoli, nec respondet quæstioni, sicut in principio promissit; nec denique certam aliquam vel constantem doctrinam ibi tradit, cum omnia fere quæ dicit, in illa vocationum differentia ac distributione pro sola Dei libertate et electione nitantur. Unde (quod maxime hanc veritatem confirmat) in solvenda hæc eadem objectione, et postea in fine quæstionis, iterum atque iterum eandem doctrinam de vocatione congrua inculcat.

Ad objectionem ergo illam, quomodo Deus, qui nihil odit eorum quæ fecit, dicatur odio habuisse Esau, late respondet, et occasione illius reliquam partem Apostolici contextus, quam præmiserat, declarat, usque ad illa verba: *Est locus quidam*, etc., exclusive. Summa vero responsionis est, Deum in Esau odisse culpam quam ipse Deus non fecit, non vero odisse personam, vel naturam quam ipse fecit; et hoc sensu dictum esse alibi Deum nihil odisse eorum quæ fecit. Quod si objiciatur Paulum dixisse Deum odio habuisse Esau antequam quidquam mali egisset, sicut dilexit Jacob antequam quidquam boni egis-

set, respondet alibi Augustinus, licet Deus odio habuerit Esau antequam quidquam mali egisset, non vero antequam quidquam mali contraxisset, et ita in eo odisse originalem culpam quam ipse non fecit, et propter illam negasse illi peculiarem illam misericordiam, quam Jacob gratis fecit. Instare autem quis potest, quia etiam de Angelis, Lucifero et Michaeli, verbi gratia, dici potest: Antequam quidquam boni aut mali egissent, Michaeli dilexit, et Luciferum odio habuit; et non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori. Et tamen in Angelis nulla originalis culpa præcessit, unde in illis non solum vere dicitur: Antequam quidquam mali egissent, sed etiam antequam quidquam mali contraxissent. Respondeo (ut iterum jam dixi) me non probare nunc nec defendere omnia verba et singulas solutiones seu responsiones Augustini, sed tantum mentem ejus explicare; fortasse enim illa responsio non est necessaria, et probabile satis est, etiam ante prævisum originale peccatum Deum elegisse Jacob, et non Esau, ut in alio opusculo ostendimus; et quod Scriptura alibi dixit, Deum nihil quod fecit odisse, intelligitur de proprio odio; cum vero Paulus dicit Deum odio habuisse Esau, latius sumit odium pro negatione dilectionis eximie seu singularis; et hoc modo nulla est necessaria culpa ut Deus personam odio habeat, id est, non diligat eo modo quo aliam æqualem, vel etiam minorem diligit. Quamquam autem responsio Augustini non sit necessaria, est satis pia et probabilis; deservireque potest ad explicandum cur illa negatio amoris odium vocetur; habet enim specialem rationem odii, si non solum negatus sit ille amor, quia non debitus, sed etiam in vindictam alicujus culpæ. In tota vero illa parte illius quæstionis nihil aliud invenio aut explicatione indigens, aut ad nostram causam conducens, præter illa verba: *Hæc demonstratio potentie Dei, et annuntiatio nominis ejus in universa terra, prodest eis, ut timeant, ut vias suas corrigant, quibus vocatio talis congruit.* Nam ex hoc ultimo verbo constat hic redire ad superiorem doctrinam de vocatione congrua, et in ordine ad illam explicare omnia quæ per exteriora signa vel opera Deus facit vel permittit, etiam circa reprobos, ut deserviant saluti electorum; non ergo tradit Augustinus doctrinam illam de vocatione congrua ex aliena sententia, sed ex maxime propria.

Tandem vero post collationem alterius testimonii, Ecclesiastici 33, eum loco Pauli (in quo nihil nobis ad causam nostram notandum occurrit), in fine quæstionis, ab illis verbis: *Nulla igitur intentio tenetur Apostoli, etc.*, epilogum facit, et summam doctrinam datam colligit, iterumque ad vocationem congruam redit, et in ea maximam vim hujus negotii ad gratiam et prædestinationem pertinentis ponit: *Præcipitur (ait inter alia) ut credamus, ut dono accepto Spiritus Sancti, per dilectionem operari possimus: sed quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est aliqua rerum testificatione tangatur?* Notetur explicatio vocationis quam non ponit Augustinus, nisi in aliquo tactu cordis per aliquam actionem vitalem intellectus vel voluntatis. Et quia ad certitudinem conversionis et prædestinationis non satis est vocatio, nisi ut congrua, subjungit: *Quis habet in potestate tali viso tangi, quo ejus voluntas moveatur ad fidem?* utique cum effectu et infallibiliter: *Quis (inquit) animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate ut vel occurrat quod eum delectare possit, vel ut delectet cum occurrit? Cum ergo nos ea delectent quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc et præbetur gratia Dei, etc.* In quibus et similibus verbis semper illud attente considerandum est apud Augustinum, totum hoc negotium prævenientis gratiæ positum esse in excitationibus intellectus et voluntatis per proprios actus harum potentiarum, quibus homo paulatim illuminatur vel afficitur, ut tandem consentiat. Unde inferius concludit: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quandoquidem nec velle, nec currere, nisi eo movente atque excitante poterimus.* Et in sequentibus addit mysterium electionis divinæ in modo hujus vocationis manifestare, quod tandem in fine exemplo Pauli declarat, non quia ejus voluntas physice fuit ad fidem volendam determinata, sed quia *una desuper voce prostratus, et occurrente tali viso, quomens illa et voluntas refracta sævitia corrigeretur ad fidem, tractus est.* Semper ergo persistit Augustinus in doctrina de vocatione congrua, et in illa ponit gratiæ prævenientis efficacitatem, etiam in mirabili et efficacissima conversione, qualis illa Pauli fuit. Ergo ex discursu illius integræ quæstionis plane sententia nostra confirmatur, et contraria ab Augustini sententia prorsus aliena conspicitur.

CAPUT XXXVII.

CONFERUNTUR CÆTERA AC PRÆCIPUA AUGUSTINI TESTIMONIA EX VARIIS EJUS OPERIBUS IN FAVOREM UTRISQUE SENTENTIÆ DESUMPTA.

Quamvis ex dictis in superioribus capitibus possit satis de Augustini mente constare, ne tamen videamur alia ejus opera præmittere, et subterfugere nonnullas locutiones quæ ab aliis auctoribus maxime ponderantur, et quia per omnia Augustini opuscula de hac materia sigillatim et integre discurrere nimis prolixum esset et operosum legentibus, ideo universa quæ alicujus momenti videntur, hoc capite comprehendemus. Ut autem ad aliquod certum principium revocemus omnia, sciendum est varia esse capita ex quibus credi potest motionem Dei præviam et physice prædeterminantem voluntatem humanam, esse necessariam ad actiones ejus. Unum caput est necessitas divini influxus ut primæ causæ ad actiones causarum secundarum, etiam liberarum. Aliud est necessitas gratiæ ad bene operandum, præsertim ad inchoanda opera gratiæ, seu ad initium salutis. Tertium est necessitas gratiæ efficacis ad exequendam infallibiliter divinam prædestinationem seu electionem, sub qua includitur, tum gratia efficax ad primam conversionem per quam homo justificatur, tum etiam gratia efficax ad perseverandum in justitia.

Locis hic citatis cooperantem tantum concursum requirit Augustinus, non prædeterminantem motionem. — De primo capite interdum quidem disputat Augustinus, ostendendo sine Deo cooperante, id est, per generalem concursum concurrente, nihil posse facere voluntatem humanam, sicut neque alias causas creatas, ut videre licet libro duodecimo de Civitate, capite vigesimo quinto, et libro decimo sexto, capite quinto, ubi Angelos vocat cooperatores Dei, etiam in his motibus externis quos naturali virtute exercent. Unde in priori loco sic de Deo inquit: *Nec operarios habet, nisi quos ipse creavit; et si potentiam suam fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erunt, sicut antequam fierent non fuerant;* et iterum ibidem: *Cujus occulta potentia cuncta penetrans incommutabili presentia facit esse quidquid aliquando est, et quantumcumque est, quia nisi faciente illo non tale esset, sed prorsus esse non posset.* Quibus locis coope-

rantem tantum concursum requirit, non prædeterminantem motionem. Addo insuper verisimile esse interdum contra Pelagium loqui de necessitate hujus generalis concursus, quia probabile est illum etiam negasse Pelagium, ut plane significat divus Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem, ubi hac ratione dicit Pelagium fecisse quodammodo liberum arbitrium æquale Deo, id est, independens ab alio in operando, et in suo regimine, quia seipsum regit sine alterius operis auxilio concurrente. Idemque repetit dialogo primo contra Pelagianos. Cum ergo Augustinus omnes errores Pelagii expugnaverit, credibile est hunc non omisisse, etiam in disputationibus contra Pelagium. Nam in libro de Gratia Christi, capite quarto, refert Pelagium solam possibilitatem bene operandi, quæ est in facultate libera voluntatis, Deo attribuisse, voluntatem autem bonam ipsi homini, scilicet quoad actum secundum. Et quamvis diceret Deum adjuvare hominem suæ gratiæ auxilio, per hoc auxilium solum intelligebat legem et doctrinam, quam dicebat juvare possibilitatem, non ipsum velle. Nam ad hoc ita putabat sufficere voluntatem, ut nullo indigeat Dei auxilio; significat ergo Pelagium omnem cooperationem Dei negasse. Atque ita impugnat errorem illum Augustinus in toto illo libro, afferens varia testimonia Scripturæ, quorum multa possunt de generali Dei influenza intelligi, ratione cujus dicitur Deus operari omnia opera nostra, Isai. 26; sicut dicitur operari omnia in omnibus, 1 Cor. 10. Quæ non satis exponuntur quod hæc tribuantur Deo solum quia dedit virtutem operandi, tum quia, ut notavit idem Augustinus, epistola centesima quadragesima sexta, quæstione secunda, Scriptura non tantum dicit Deum operatum esse, sed usque modo operari, Joanne quinto, utique *cuncta quæ fiunt;* ut Matth. sexto dicitur vestire fenum agri; et Psalm. centesimo quadragesimo sexto dictum erat: *Qui producit in montibus fenum;* tum etiam quia, si propter solam possibilitatem bene volendi Deo tribueretur ipsum bonum velle, eadem ratione tribuendum esset Deo malum velle, quia dedit voluntatem per quam illud operamur, ut argumentatur idem Augustinus libr. de Gratia Christi, c. 17 et 25.

Verumtamen ex hoc ipso argumento nos convincimus, quoties Augustinus solum loquitur de adjutorio seu cooperatione divina necessaria ex vi solius generalis concursus, non tribuere Deo specialem præmotionem,